



HAdingus filius fuit regis Daniae & Suetiae, qui à Suiberto occisus fuit. Is patris ultionē hostis beneficio prætulit, & in exilium profectus est. Vnde primis adolescenti temporibus felicissimis naturæ incrementis summā uirilīs ætatis perfectionem sortitus, omisso uoluptatis studio, continua armorum meditatione flagrabat. Itaque uersus Orientem res præclaras egregiè gessit, ac sibi Liferum Pyratam solenni pactiōnis iure conciliauit. Veteres icturi fœdus uestigia sua mutui sanguinis aspersione perfundere consueuerant, amicitiarum pignus alterni cruoris commercio firmaturi. Illi Handuanū Hellepontū regem apud Durnam urbem ceperunt, & accepto auro liberè dimiserūt. Post hæc in Suetiam reuersus, Suibdagerum apud Gutlandiam ingenti classe obuium pugna adortus, superauit. Sicque non solum exterorum manubijs, uerum etiam paternæ fraternæque uindictæ tropheis, ad eminentē claritatis gradum profectus, exilium regno mutauit, cui patriam non ante repetere quam regere cōtigit. Cum etiam Asmundus Suibdageri filius patris interitū uindicare cuperet, eū quoque cum filio Heinrico Hadingus magna fortitudine oppressit, quanquam ab eodem Asmundo in pede uulneratus perpetuò postea claudicaret. Hisce confectis, cōtra Vffonem alterū Asmundi filiū arma mouit. Verū cū bellum illud diuturnius opinione esset, tandē militibus suis ob anonæ inopiā magna parte labe consumptis, ipse ab hoste profligatus fuit. Interea ipse exul ad Noruagiam tendit, atque Regnildā regis Haquini filiā à Gigantis coniugio, magna uirtute liberauit, ac sibi matrimonio iunxit. Postea in patriam reuersus uirēs reparauit, & contra Vffonē profectus eum ingenti clade affecit & occidit. Ut autē sibi deuictæ gentis animos conciliaret, Hundingum Vffonis fratrem Sueonum regem constituit, & annuo tributo contentus fuit. Id quod factum est circa annum mundi 2950.